



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Biennii Peripatetici**

Complectens Quæstiones Logicales Una Cum Institutionibus Dialecticis Ad Antiquorum Recentiorumque Mentem Resolutas, Nec Non Juxta Modernam Scholarum Peripateticarum Methodum Elaboratas & Explicatas

**Kretz, Marquard**

**Herbipoli, 1749**

Disputatio VI. De Post-Prædicamentis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52248](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52248)



prædicamentum habitûs non pertinere, quia tanquam partes integrantes, ad substantiarum suarum categorias revocantur. 3. Eum, qui in ædibus versatur, aut in aquis natat, non propriè dici ædibus aut aquis vestiri, ex defectu ultimi requisiti. Hæc sunt, quæ de prædicamentis in Logica breviter pertractanda censui, ut interim Tyro Philosophus terminorum sæpius occurrentium notitiam hauriat, præpareturque ad ea, quæ de distributione entis per prædicamenta factâ, in diversis Philosophiæ partibus fusiùs, & accuratiùs pertractabuntur.



## DISPUTATIO VI.

## De Post-Prædicamentis.

**P**ost-Prædicamenta sunt quædam quasi appendices prædicamentorum, complectentes affectiones quasdam, quæ prædicamentis inter se comparatis conveniunt, suntque oppositio, modi prioris, & posterioris, modi simul, species motûs, & modi habendi. Quid de his scire conveniat, sequentes articuli in compendio dabunt.

## ARTICULUS I.

*De Oppositione Terminorum.*

432. **N**ota. *Termini Comparati* dicuntur, qui in ordine ad se invicem considerantur, & de se invicem affirmari, vel negari possunt. Horum alii sunt *Pertinentes*, quorum  
unus



unus vel infert, vel excludit alterum, v. g. *Homo, Animal, Leo*. Alii sunt *Impertinentes*, qui neque inferunt se, neque se excludunt, v. g. *Album, & Dulce*. Adverte, quòd ejusmodi termini respectu aliorum possint esse pertinentes. Porrò termini pertinentes, quorum unus infert alterum, sicut *Homo* infert *Animal*, dicuntur *Pertinentes sequelâ*; si autem unus excludat alterum, ut *Homo* excludit *Leonem*, vocantur *Pertinentes repugantiâ*. Præterea *Termini pertinentes sequelâ* vel sunt *convertibiles*, qui universaliter de se invicem affirmari possunt, ut *Homo, & Risibile*. Vel sunt *Synonymi*, qui idem eodem modo significant, ut *Ensis & Gladius*. Dixi eodem modo, ne terminis synonymis accenseantur *Definita & Definitiones*, alique ejusmodi termini, qui idem quidem significant, sed non eodem prorsus modo. Vel sunt *magis & minus communes*, i. e. superiores, & inferiores, ut *Animal, & Homo*. Vel sunt *Excedentes, & Excessi*, quorum nullus de altero affirmari universaliter, vel negari potest, sed particulariter ut *Homo, & Album*. *Termini pertinentes repugantiâ* vel sunt *Disparati*, qui quidem oppositionem aliquam specialem non habent, sed solùm repugnant ob diversitatem naturalem, ut *Leo, & Equus*. Vel sunt *Oppositi*, de quibus hîc specialitùs agendum; prænotandum autem est adhuc imò. Quòd *Oppositio in genere* sit aliquorum inter se pugnantia, sive primò diversa sint, sive non. 2dò. Quòd oppositio sumi possit *latè, & strictè*. *Latè*

*sumpta*



*sumpta* complectitur tres species, *Diversitatem*, *Differentiam* (horum explicationem vide n. 130.) & *Disperationem*, quàm modò explicavi. *Strictè sumpta* est duorum extremorum simplicium repugnantia, quæ ita pugnant inter se, ut simili modo non pugnent cum aliis, ut *Calor* & *Frigus*. Oppositionis strictæ Aristoteles *cap. de Oppos.* adducit quatuor species; Nimirum *Relativè opposita*, *contraria*, *Privantia*, *Contradictoria*. De his

433. *Dico* 1. *Relativè opposita* sunt, quæ significant extrema se mutuò respicientia, quorum utrumque est affirmativum, & idem respectu ejusdem convenire non potest. Sic *Pater* ita est filii *Pater*, ut sub eodem respectu, quo est *Pater*, non possit esse *Filius*. De *Relativè oppositis* advertendum est 1. quòd per rō *Affirmativum* à *Privativis*, & *Negativis* distinguantur, quorum alterum est non ens. 2. Quòd relativè opposita se ponant, h. e. si unum est, & alterum esse necesse est. Econtrà reliqua opposita se quoad existentiam removent. 3. Quòd oppositio relativa dicatur omnium debilissima; eoquòd unum non opponatur alteri ratione *Remotionis*, sed ratione *Dependentiae*, quatenus unum ab altero aliquatenus pendet. Hinc illud Aristotelis pronuntiatum: *In solis oppositis relativè unum dicitur esse alterius*. Hoc enim aliis oppositis convenire nequit; sic visus non dicitur esse cæcitatatis, nec frigus caloris &c. 4. Quòd oppositio relativa fundet distinctionem realem. Hinc commune axioma: *Inter ea datur distin-*



*distinctio realis, inter quæ obviat relationis oppositio.* 5. Quòd inter relativè opposita detur medium exclusivum utriusque.

434. *Dico 2. Contraria dicuntur illa attributa, quæ sub eodem genere maximè distant, & eidem subjecto vicissim insunt, à quo se mutuò expellunt, nisi alterum insit à natura.* Ita Arist. 5. *Metaph.* cap. 10. Dicitur *1mò*: *Sub eodem genere; sive hoc proximum sit, ut Albedo, & Nigredo ponuntur sub colore; sive remotum, ut Iustitia, & Injustitia, quæ ponuntur sub Habitu, tanquam eodem genere remoto, licèt genera proxima, nimirum Virtus, & Vitium diversa sint.* Per hanc conditionem differunt quoque contraria à privativis, & contradictoriis, quæ in nullo genere conveniunt. Dicitur *2dò*: *Maximè distant; h. e. magis distant inter se, quàm àb aliis omnibus sub eodem genere constitutis; sic albedo & nigredo sub colore magis distant inter se, quàm à quovis alio, & quàm reliqui colores inter se.* Hæc distantia contrariorum dicitur *positiva*. Alia est *negativa*, quâ nimirum duo attributa sub eodem genere ita distant, ut nulla attributa sub eodem genere magis distent, licèt aliquot æqualiter distent. Sic distant *Calor, & frigus sub Qualitate patibili, sub qua æqualiter distant humor, & siccitas.* Dicitur *3tiò*: *Eidem subjecto vicissim insunt à quo se mutuò expellunt.* Quibus verbis innuitur *primò*, quòd contraria pugnent in ordine ad idem subjectum. *Secundò*, quòd se expellant àb eodem subjecto, sal-



tem in gradibus maximè intensis. Per hæc maximè distinguuntur à relativè oppositis, quæ nec eidem subjecto vicissim insunt, & consequenter nec se mutuò àb eo expellunt. Intelligitur autem hîc expulsio *formalis*, quâ forma in subjecto producta alteram se ipsa expellit; non *Effectiva*, quæ actuosis duntaxat congruit: aliàs ignis contrariè opponeretur frigori, quia efficienter calorem contrarium frigori producit. Dicitur 4<sup>to</sup>: *Nisi alterum insit à natura*; quia dantur qualitates subjecto suo ita constanter inhærentes, ut opposita in eorum locum substitui nequeant, nimirum perfectè, & quantum ad denominationem sufficit; sic ignis nunquam admittere frigus ita potest, ut frigidus dici valeat.

435. *Observanda* de contrariis sunt adhuc sequentia. I. *Liberalitas*, & *Avaritia* non sunt strictè contraria; eoquòd non distent maximè *Distantiâ physicâ*. Nam avaritia pugnat quidem cum liberalitate, quatenus largitur; sed non pugnat cum illa, quatenus retinet. Dixi *Distantiâ physicâ*: nam oppositio alia est *Physica*, alia *Moralis*, alia *Logica*. *Logica* est inter propositiones diversæ quantitatis, aut qualitatis, aut utriusque. *Moralis* est inter entia moralia, v. g. inter *Meritum*, & *Demeritum*. *Physica* est inter entia naturalia, sive inter entia realia, & non entia. Jam si ad distantiam moralem attendatur, tunc absque dubio *Avaritia* magis distat à *Liberalitate*, quàm à *Prodigalitate*; major enim est oppositio moralis inter



inter virtutem & vitium, quàm inter duo vitia. Agitur autem in præsentī divisione oppositorum præcipuè de oppositione physica.

II. Quoties unum contrarium vincit, corrumpit alterum; Per accidens tamen, & ut loquitur Aristoteles, per ἀντιπερίσσειαν, unum contrarium alterum auget. III. Contraria alia sunt immediata, alia mediata. *Immediata* sunt, inter quæ non est medium, five quorum unum necessariò inest subjecto capaci, ut *Ægrum, & Sanum*; nam non datur medium inter proportionem humorum, quæ est sanitas, & inter illorum improportionem, quæ est ægritudo. Dixi *subjecto capaci*: Nam inter contraria hæc datur medium incapax. v. g. *Lapis*, qui nec æger, nec sanus est. *Mediata* sunt, quæ habent medium, five quorum alterum subjecto capaci non necessariò inest. Sic parieti inesse potest flavedo, & non necessariò inest albedo, aut nigredo. IV. Contrariorum affectiones ex Aristotele sunt sequentes. *1ma*: Quidquid *Bono* contrariatur malum est; sic sanitati morbus, iniustitia justitiæ contrarius est. *Malo* autem & bonum, & malum repugnat. Sic Avaritiæ & prodigalitas repugnat, & Liberalitas. *2da*: Existente uno contrariorum, non necessariò existit & alterum. *3tia*: Contraria eidem subjecto simul inesse nequeunt, nimirum in gradu intenso, & secundum eandem subjecti partem &c.

436. Dico 3. *Privativè opposita* sunt habitus, & ejus privatio respectu ejusdem sub-



jecti. Per *Habitus* hîc intelligitur quælibet forma subjecto certo, & idoneo debita. *Privatio* significat absentiam habitûs, seû formæ in subjecto idoneo, & capaci. Differt à *negatione pura*, vel, ut alii loquuntur, à *negatione negante*, quòd illa sit absentia formæ à subjecto capaci; hæc verò à subjecto incapaci. Ex his collige 1. Quòd ad privationem requiratur, ut privativè opposita in eodem subjecto utriusque capaci recipi possint; nam *Privatio, & habitus sunt circa idem*, ut inquit Arist. cap. 10. de *categ.* 2. Quòd tunc propriè privatio esse dicatur, quando subjectum privatur formâ ipsi tempore à natura constituto debita. Hinc catulus ante nonum diem non dicitur propriè cæcus. Prætereâ de privatione observanda sunt sequentia pronuntiata. *Primum est: A Privatione ad habitum non datur regressus. h. e.* A privatione ad eundem numero habitum *naturaliter* non datur regressus; ad eundem vero *specie* habitum dari regressum tunc nihil prohibet, quando est privatio tantùm *partialis*, quæ non tollit omnes causas ad productionem sufficientes. Secus est, si privatio sit *totalis*, & ejusmodi causæ tollantur. *Secundum est: Privatio est per se non ens. h. e.* Privatio in abstracto est carentia formæ, sive entis, connotans in obliquo subjectum capax. Hinc in concreto sumpta necessariò attribuitur subjecto reali, quod formam oppositam habere potest. Econtrà *negatio pura* in concreto non necessariò tribuitur subjecto reali, &



apto ad formam recipiendam, sed prædicatur etiam de non ente, vel de subjecto inepto, v. g. *Chimæra est non lapis. vel Lignum est non homo.* Tertium est: *Privatio non cognoscitur, nisi per habitum oppositum, saltem proximè.* Ratio est, quia esse privationis nihil est, nisi carentia habitûs oppositi; ergo cognosci debet per ordinem ad habitum oppositum. Hinc natum est hoc axioma: *Rectum est suū, & obliqui index.* Sic cæcitas proximè cognoscitur, cognoscendo subjectum, ejus capacitatem, & visum ei debitum, quo caret. Dixi, *saltem proximè*, quæ cæcitas remotè cognosci potest ex objecto facultatis videndi, quod est color, & lumen. Quartum est: *Privationis, ut privatio est, nulla est differentia.* Nam non entis non est qualitas, nec differentia. Proinde differentia specifica privationum desumenda est ex formis oppositis, quas tollunt. Quintum est: *Extrema privationis oppositæ sunt ejusdem generis.* h. e. Extremum positivum privationis, v. g. visus, & extremum negativum v. g. cæcitas ponuntur sub eodem genere in categoria, hoc tamen discrimine, quod positivum ponatur *directè*, negativum verò *reductivè* duntaxat. Sextum est: *Privativa oppositio contradictoria aliquatenus affinis est.* Ratio est, quia utraque habet extremum negativum: Privatio habet extremum negativum *secundum quid*, quia saltem connotat aptitudinem subjecti. Negatio autem pura habet extremum *simpliciter* negativum, quia nequidem connotat subjectum aptum.



437. Dico 4. *Contradictoria opposito est, inter attributum aliquod, & ejus negationem puram, sive simplicem. v. g. Homo, non homo.* Requiritur autem ad oppositionem contradictoriam, 1. ut sit *de eodem* v. g. *Homo, non homo.* 2. Ut sit *respectu ejusdem*; nam respectu diversorum Sempronius potest dici doctus, & non doctus. 3. Ut sit *secundum idem.* 4. Ut intelligatur eodem tempore, & loco. Nam Sapiens hodie, non sapiens cras, contradictoria attributa non sunt; nec tale fieri in unco loco, & non tale in altero, respectu corporis reproducti. De hac oppositione observandum porro *1mò*, quòd nullum admittat medium secundum rem; quidlibet enim est, vel non est. *2dò*, quòd sit oppositio omnium maxima. Nam *Privativa* habent saltem medium subjecti, v. g. *Lapidem*, qui est medium subjecti inter videns, & cæcum; cùm nec cæcus, nec videns sit. Adhæc conveniunt eidem subjecto *successivè.* *Contraria* conveniunt sub eodem genere, adeoque habent medium generis. Habent præterea medium participationis; sic *Tempus* de calore, & frigore aliquid participat. Habent denique medium subjecti, nam in gradibus remissis compatiuntur se in eodem subjecto, imo supernaturaliter etiam in gradibus intensis. *Relativa* habent medium generis, cùm sint ejusdem categoriæ. Habent insuper medium subjecti; sic Adam à primo ortu suus nec pater, nec filius erat. Sed *Contradictoria* nec habent medium per participationem ex



tremorum; cùm ex ente, & non ente nihil componi possit. Nec per negationem, aut affirmationem extremorum; quid enim affirmare poteris, quod nec fit ens, nec non ens? vel de qua re hæc ambo simul negare poteris? Nec per participationem ejusdem generis; quis enim unquam assignavit, aut assignabit genus ad ens, & non ens? *Si dicas 1.* Carentia medio minùs distant, quàm non carentia; ergo oppositio contradictoria non est maxima. *R. D. ant.* Minùs distant distantia loci. *C.* distantia naturæ. *N.* *Si dicas 2.* Inter par & impar respectu numeri non datur medium; ergo hæc affectio etiam contrariis convenit. *R. D. ant.* Non datur medium respectu numeri præcisè. *C.* non datur medium respectu cujuslibet subjecti. *N.* dantur enim plura subjecta, quibus ratio paris & imparis non convenit.

438. *Queres 1.* *Qua sit ratio hujus divisionis oppositorum?* *R.* Hæc est: quia in omni oppositione debent esse duo extrema sibi repugnantia; vel ergo ambo hæc extrema sunt positiva, vel unum tantùm? si ambo sint positiva, ergo vel sunt absoluta, & erunt *Contraria*; vel sunt respectiva, & erunt *Relativa*: si verò alterum extremorum est negativum; ergo vel est pura, & simplex negatio respectu cujuslibet subjecti, & erunt *Contradictoria*; vel est negatio secundùm quid, sive privatio formæ in subjecto capaci, & erunt *Privantia*.

439. *Obj. 1.* Omnia opposita sunt relativa; ergo relativè opposita non constituunt specia-



lem oppositorum speciem. *R. D. ant.* Sunt relativa, si sumantur physicè, & materialiter præscindendo àb oppositione. *N.* Si sumantur formaliter. *Subdist.* Sunt relativa, quia ex generali ratione sunt ad aliud. *C.* quia ex speciali ratione sunt ad aliud. *N.* Nimirum relativè opposita hoc speciale habent, quòd unum ex natura sua inferat existentiam alterius oppositi, etiam præscindendo àb oppositione. Sic *Pater* est *filii pater*. Sed *frigus* non est *caloris frigus*, nec *visio* est *cæcitatibus visio*. Si ais: *Arist. lib. 2. de cælo* inquit: *Si unum contrarium sit in rerum natura, aliud etiam esse debet; ergo etiam unum contrarium ex natura sua infert alterum.* *R. N. Conf.* Nam Aristoteles hìc tantùm loquitur de existentia creaturarum *in ordine ad universum*, ad cuius complementum requiritur, ut existente uno contrariorum etiam alterum existat. Non loquitur autem Aristoteles de *natura contrariorum*; nam natura unius contrarii est destruere suum oppositum, non autem ponere. *Si reponas:* Datur prætereà oppositio inter duas negationes, vel privationes, quæ in allatis oppositionibus non continentur; ergo allata divisio saltem non est adæquata. *R. D. ant.* Datur inter negationes &c. oppositio vera physica, & realis, de qua hìc agitur. *N.* Improperia tantùm, quæ non est hujus loci. *C.* Adverte prætereà, quòd nec sermo hìc sit de terminis *Logicè contrariis*, ut sunt *Omnis, Nullus*, vel *Logicè contradictoriis*, quales sunt *Om-*  
nis



*nis, Aliquis non.* Cùm enim hi termini categorematici non sint, huc reduci non possunt.

440. *Obj. 2.* Saltem non dantur contraria, ut n. 434. definita sunt. *Prob.* Unum contrarium non potest expellere alterum, v. g. *Frigus* nequit expellere *calorem* àb igne, *siccitas* expellere nequit àb aqua *humiditatem*; ergo. *R. N. ant. Probat.* Ex n. 434. constat, quòd non requiratur, ut unum contrariorum expellat alterum *realiter & effectivè*; sed quòd sufficiat *explulsio mutua, & formalis*, quæ consistit in hoc: quòd effectus formalis unius formæ *ex natura rei* repugnet in eodem subjecto cum effecto formali formæ alterius; hoc autem modo pugnant inter se *frigus, & calor &c.* ergo. Ex hac ipsa ratione additum est in definitione contrariorum: *Nisi alterum insit à natura.* *Si ais:* Si expulsio contrariorum sit formalis, ergo requiritur, ut duo inter se formaliter pugnantia simul existant; sed hoc fieri nequit in omnibus contrariis; ergo. *R. N. sequel. maj.* Hoc ipsum enim esset contra rationem expulsionis formalis: nam duæ formæ, v. g. *Frigus, & Calor*, dum in gradu remisso sunt simul in eodem subjecto, non habent effectus formales repugnantes. *Si reponas:* Saltem in casu, quo duæ formæ sunt simul, una operatur aliquid ad destructionem alterius; ergo etiam in tali casu habent effectus formales repugnantes. *R. D. Cons.* Habent effectus formales *mediatè. C. immediatè. N. h. e.* Dum *frigus* ut *tria*, & *calor* ut *tria* sunt simul in eadem

Bb 5 aqua,



aqua, utraque harum formarum denominabit subjectum, nimirum calor denominabit aquam calidam ut tria, & frigus frigidam ut tria, hi duo tamen effectus formales non sunt invicem repugnantes; igitur nec frigus ut tria, nec calor ut tria strictè sibi contrariantur. Si postea aqua unum in se gradum frigoris producat, ille cum prioribus tribus constituet quatuor gradus frigoris, qui deinde propriè contrarii erunt tribus gradibus caloris, unumque caloris gradum formaliter expellent; sed aqua, producens quartum gradum frigoris, expellet gradum caloris *effectivè tantum, & formaliter mediatè.*

441. *Quæres 2. An propria contrarietas omni, & soli qualitati conveniat?* R. 1. Non convenit omni. Ratio est, quia dantur habitus, v. g. Primorum principiorum, qui non habent contrarium. Dantur etiam species intentionales non habentes contrarium, cum species nigri, & albi sint simul in oculo. Item potentia naturalis, si propriè, & non pro omni qualitate passibili activa sumatur, non patitur contrarium, ut patet in *Intellectu, & Voluntati.* Idem dic de *Luce &c.* Ex his colliges, quod contrarietas non conveniat *Qualitati ut sic & ex natura qualitatis;* sed ex determinatis variarum qualitatatum rationibus, quæ contrarietatem compatiuntur. R. 2. Dici potest, quod solis qualitatibus conveniat contrarietas, hoc sensu, quod singulariter illis tribuatur. Licet enim Philosophi satis communiter doceant, quod



quòd *Motus*, & *Actiones* contrarietatem habeant; hæc tamen contrarietas inter actiones, & mutationes positivas reperta, radicaliter oritur ex contrarietate terminorum, qui qualitates sunt.

## ARTICULUS II.

*De Modis Prioris, & Posterioris.*

442. **D**ico 1. *Prioritas* est forma denominans unum prius altero. Modi autem, quæis unum prius altero esse potest, ex Aristotele recensentur quinque, hoc disticho expressi:

*Tempore, naturâ, prius ordine, dic & honore;*  
*Causam causato dicimus esse prius.*

*Explico.* *Prius tempore* illud dicitur, quod citius altero existit, & duratione præcedit. Sic *Plato prior est Aristotele*. Ponitur hic modus primo loco, quia & notissimus, & aliorum quasi mensura est. *Prius naturâ*, si strictè sumatur, duo exigit; nimirum ut prius sit distinctum realiter à posteriori, & ut posteriori à priori dependeat; sic causa prior est suo effectu. Dicitur etiam *Prioritas causalitatis*, quam quinto loco Aristoteles recenset. Si autem prioritas naturæ latè sumatur, dicitur *Prioritas existendi consequentiâ*, vel *logica*, quæ est inter attributa, quorum unum inferitur ex alio, sed non vicissim. Sic unum prius est *duobus*; si enim duo sint, ergo & unum est; at non vicissim. Sic etiam *superiora priora*

ra



ra sunt *inferioribus*; nam quando homo est, animal est; sed non vice versâ. *Prius ordine* est, quod juxta ordinem, quem natura postulat, præcedit. Sic *principia* priora sunt *conclusionibus*, *primum secundo*, *Exordium narratione* &c. *Prius honore* est, quod dignitate alterum exsuperat. Sic *Rex* prior est *Principe*, *Nobilis plebejo*, *Cælum* prior *elementis*. Hunc modum prioris vocat Aristoteles imperfectissimum, sive alienissimum, quia, ut inquit Ammonius, ex hominum potius opinione, quam ex rerum natura pendet. Præter hos modos prioris recensentur adhuc sequentes: Nimirum *Prioritas cognitionis*, quâ illud prius dicitur, quod concipi prius debet, licet à parte rei inter extrema nulla sit prioritas realis. Sic *rationale* prius est *visibili*. *Prius loco*, quod loco vel à natura, vel aliunde designato propinquius est. Sic *terra* propinquior centro (quod est locus pro rebus gravibus à natura designatus) dicitur prior *aëre*. *Prius motu*, quod magis propinquum est principio motûs. Sic *manus* trahens campanam est prior motu, quàm *funis*, & *funis* prior *campanâ*. Denique admittunt Theologi *Prioritatem originis*, quâ in divinis *principium* prius est *principiato*, v. g. *Pater Filio*. Differt hæc à prioritate naturæ per hoc, quòd produciens prius natura producat effectum cum dependentia à se, adeoque effectum distinctæ naturæ saltem numericè. Econtrà *principium* prius origine non producit effectum cum de-

pen-



pendentia à se, sed eandem numero naturam principiato communicat.

443. *Dico 2.* Modi posterioris totidem sunt, quot modos prioris paulò ante recensuimus. Ex his proinde colligi facillè possunt, & ex antea dictis illorum explicatio desumi.

### ARTICULUS III.

*De Modis simul, speciebus motûs, & Modis habendi.*

444. **D***ico 1.* *Simultas* est forma denominans plura simul. Hæc simultas est inter illa, quæ prius, & posterius excludunt in ea ratione, in qua sunt simul. Dixi, *in ea ratione* &c. quia illa, quæ sunt simul, alio respectu rationem prioris habere possunt, vel posterioris. Sic *Sol* & *Lux* dicuntur simul tempore; sol tamen est naturâ prior luce. Modi simul à Philosopho tres assignantur, his versibus expressi.

*Tempore dico simul, quorum generatio nunc est*

*Quæ convertuntur, dicimus esse simul*

*Suntque simul species, genus unum distribuentes,*

*At generis causâ, non ratione suâ.*

*Simul tempore* sunt, quæ eodem temporis instanti simul esse incipiunt, vel simul existunt, sive unum sit causa alterius, sive non. Sic *duæ conciones* eodem tempore habitæ dicuntur esse simul, licet una non sit causa alterius.

Sic.



Sic *Sol* & *Lux* dicuntur esse simul, ita tamen, ut sol sit causa lucis. *Simul convertentiâ*, sive *naturâ* illa sunt, quæ se mutuò inferunt *essendi consequentiâ* ita tamen, ut unum non sit causa alterius. Hæc simultas datur inter relationes categoricas. Sic similitudo inter parietem album A, & parietem album B infert similitudinem inter parietem album B, & parietem album A, quin sit ejus causa. *Simul divisione*, vel *officio* sunt Differentiæ divisivæ ejusdem generis, in quantum ad genus comparantur; nam comparatæ inter se Una est alterâ prior dignitate. Huc etiam spectant species in quas idem genus dividitur. Præter hos simultatis modos, alia dicuntur *simul subjecto*, quæ idem subjectum nanciscuntur, ut *albedo* & *dulcedo*, in saccharo. Alia sunt *simul causalitate*, ut *duæ causæ* in eundem simul effectum influentes. Alia sunt *simul definitione*, quæ definiuntur per mutuum respectum; ut *Pater* & *Filius*. Alia sunt *simul societate*, quæ in eâdem simul disciplinâ versantur; ut *duo mercatores*, vel *duo condiscipuli*. Alia sunt *simul loco*, ut plures in eodem templo, vel civitate congregati &c.

445. *Dico 2.* Motus, prout ad postprædicamenta pertinet, est fluxus, seû via quædam ad terminum. Aristoteles motum sic definit: *Est actus entis in potentia, prout in potentia.* Ejus species Aristoteles cap. de motu, sex enumerat: *Ortum* & *Interitum*, sive generationem, & corruptionem. *Auctionem*,  
sive



five augmentationem, & *Diminutionem*. *Alterationem*, *Lationem*, five motum localem. *Generatio*, & *Corruptio* pertinent ad substantiam; per illam forma educitur ex materia, per hanc destruitur forma vetus è sinu materiæeducta. *Augmentatio*, & *Diminutio* spectant ad quantitatem; per illam major acquiritur quantitas, per hanc imminuitur. *Alteratio* ad qualitatem pertinet, estque transitus ad novam qualitatem. *Motus localis* spectat ad ubi, estque transitus à loco ad locum.

*Adverte* prætereà 1. quòd dictæ motus species sint tantùm species latè tales, quo sensu membra dividentiæ species appellari solent. Nam via ad terminum non est propriè species, cum non sit ens completum. Ex hac ratione Philosophus motum non posuit directè in prædicamento; reductivè tamen, & ratione sui termini, quilibet motus ad aliquod prædicamentum pertinet. 2. Motui secundùm se opponitur *Quies*, quæ est privatio motus. 3. Termini motûs propriè duo sunt, scilicet terminus *à quo*, five à quo motus procedit, vel recedit; & terminus *ad quem*, five ad quem motus terminatur. Denique ad motum requiritur subjectum, quod passum seu motum dicitur, in quo motus est.

446. *Dico* 3. Septem modos habendi ex Aristotele depromptos versus sequentes exhibent.

*Affe-*



*Affectum, quantum, vestitum, dic, vel ut aurum,*

*Membrum, contentum, possessum, habitatio in unum.*

*Affectio* significat modum habendi qualitatem, v. g. *Virtutem, scientiam, artem &c.* *Quantum* designat modum habendi quantitatem; sic dicimur habere magnitudinem trium aut quatuor cubitorum. *Vestitum, Aurum* denotant modos habendi, aliquid circum positum Corpori, vel ornamentum in parte: sic dicimur habere *vestem, pallium, anulum* in digito, *pileum* in capite. *Membrum* insinuat modum habendi partem corporis, sive integrans sit, sive essentialis. Sic dicimur habere *aures, manus, pedes, corpus, animam.* *Contentum* indicat modum habendi contentum in continente, sic *dolium* dicitur habere vinum, *modius* triticum. *Possessum* significat modum habendi id, quod possidemus. Sic *Titius* dicitur habere *villam, molendinum &c.* *Habitatio in unum* denotat modum habendi improprium desumptum ex cohabitatione. Sic *maritus* dicitur habere *uxorem, socius socium &c.* Ad extremum adverte, quòd *Habere*, ut post-prædicamentum est, ad omnes categorias spectet; hinc habitus hic pro forma sumitur, & per reliqua prædicamenta vagatur.

